

principes attendentes et tanto volentes periculo obviare, se de loco non recessuros aliquatenus iuraverunt, nisi prius inter predictos principes dictante sententia iuxta posse ipsorum vel compositione amicabili tractaretur, et nos etiam nostris litteris firmavimus illud idem. Cumque super hoc fuisset per principes diutius laboratum, quia labor eorum effectum  
 5 aliquem non habebat, eo quod nullam inter ipsos poterant concordiam seminare, et ipsa controversia usque adeo insurgebat, quod propter discessum nostrum, quem imminere videbant, plura incommoda et maxima dispendia imperii proinde sequebantur; ex insperato presentes principes et maxime illi, qui prius promotioni dicti nostri filii obviarent, nobis insciis et absentibus, elegerunt eundem. — —

10 Datum apud Nuheremberch, III. idus iulii, indictione VIII.

## 277.

*Schreiben des Reichskanzlers Konrad, Bischofs von Metz, in derselben Angelegenheit an Papst Honorius III.* Mantua, 1220 Juli 31.

*Hllschr.: Reg. Honorii III. No. 11 fol. 153<sup>b</sup> No. 761. Vatikan. Archiv.*

15 Littere ad dominum papam. Pio patri domino atque benefactori suo domino Honorio sacrosancte Romane sedis summo et universali pontifici C[onradus] dei et sui gratia Metensis episcopus suus per omnia devotissimus imperialis aule cancellarius per totam Italiam legatus subiectionis et obsequiorum omnimodam reverentiam cum osculo pedum et orationibus. Non mirari velit cum indignatione animi sublimitas apostolica  
 20 super inopinata novi regis in Alamannia electione et quod ego humilis clericus sanctitatis vestre tempore indicto apostolicam non accessi presentiam. Cum enim filius sanctitatis vestre dominus noster F[ridericus] inclitus rex Sicilie in Romanorum regem electus ad paternam vocationem vestram necnon ad magnam commonitionis instantiam venerabilis in Christo fratris Alatrini devoti capellani et subdiaconi vestri ad iter suum tam pro solutione voti  
 25 sui ad obsequia crucis dominice, quam etiam ad suscipiendam secundum gratiam apostolicam benedictionem imperialem, si viriliter accinxisset, principes Theotonic animadvertentes mala preterita timentes quoque, ne, sicut prius accidit ex mutatione regum et imperatorum, si quid forte, quod deus avertat, de isto rege suo sinistri proveniret, ecclesiam et imperium contingeret perturbari, presertim ad sopiendam gravissimam discordiam inter  
 30 venerabilem Maguntinum archiepiscopum et illustrem langravium Turingie, que fuit imminens impedimentum regii processus et non modicum nec immerito timebatur ad totius imperii perturbationem, de sanguine regio dominum et regem sibi relinqui instanter et inopinate postularunt. Super quo cum satis fuisset deliberatum, per quem consilium et assensus sapientie apostolice requiri sufficeret, deinde exiguitati mee talis imposita fuit  
 35 inquisitio. Cum itaque, pater et domine, ad veniendum me preparavi, acutissime tertiane repentina me invasit et diutius detinuit infirmitas. Unde tempore indicto teste deo venire nequivi. Verumtamen, pater et domine, diu ante electionem illam, si memor esse dignatur vestra benignitas, consului circumspectionem apostolicam super huius electionis celebratione.